

Oratio funebris de

INVICTISSIMO FERDI-

NANDO I. ROMANORVM IMP.

AVGVSTISSIMO.

A

MARTINO BERZEVICÆO

Pannonio conscripta.



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori
è regione gymnasij Cameracensium.

CIO CI CIO

• JOANNIS AVRATI
A Q VITANI ELEGIA IN OBI-
tum Inuictissimi FERDINANDI I. Roni. Imp.
Augustissimi ad nobilem virum MARTINUM
BERZEVICAE V N Pannonium.

Q Vid me Berzevicae rogas sine Apolline yatem
In FERDINAND V M carmina paucatum?
Multia etiam velle, quia multis dignus & ille,
Et quicunque potens usque priusque colit.
Sed dare que velle vel multa merentibus yltis,
Hac ipsi prohibeunt munera nostra sibi:
Ex bello dum bella serunt, ex ignibus ignes,
Et turbant turbis otia nostra sibi.
Quod non ille tunc caelesti pectore princeps,
Nec soliti Reges qui perierte, mei.
Arma sed à patria patrius conuertere in hostes,
Et quisquis patro non sacra more facit.
Sic decus & vestru & nostru regibus ingens
Creuit: & hu rerum est tradita Roma caput.
Cum ad Ottomans iam pars bona transiit: & nunc
Altera vix vestro salus labore mai
Vos nunc Romanu arcetis ab arcibus arcis
Turcarum Hungarij Pannoniq; viri,
Vos animu quorum, vos quorum viribus olim
DMX F E R D I N A N D Y S fretus in arma ruens,
AEmula Vayuoda denicit signa Duceisque,
Hungarij scrutans, qua peritura fuit.
Sed non hac tantum Turcas i' repulit arte:
Maius opus populos pacificare suos.
Semper ciuii populi bella extera motus:
Sic creuit nostru Thracia dissidiis.
Gracia sic olim est Turci oppressa profanis,
Dum flagrat bellu Gracia tota fusa.
Sic Oriens cecidit, sic est casum & olim
Occasus fadet sub iuga Barbaria.
Augur ego, atque utinam sim nostris irritus augur:
Ultima sed primu conuenienter eunt.
Quod restamus aucti, quod uondu colla catena
Libera scrulis vbi Solymanna premat,
Concors efficit Germania: dum noua semper
Mens F E R D I N A N D I prouida bella retat.
Pro quisibus, vt meritos pietas sibi ferret honores,
A superu nato missa corona triplex.
Felix qui genitor sexagesarius ipse,
In summo natum vedit honore suum.
Felix qui dedit exemplum memorabile cunctis
Regibus, & regum stirpe satis pueris:
Quod non soli n armis patru à finibus hostes,
Sed magis arcentur pace, deique metu.



REVERENDISSIMO IN
Christo patri, & Domino D. Francisco Forgach de
Gymes, Episcopo VVaradinensi, Comiti perpetuo
Bihoriensi, Procancellario in Regno Hungariae, &
Consiliario S. Cæsareæ Regiaeque maiestatis, &c.
Domino ac Mecenati suo obseruandiss. S. P. D.

Llustris Austriadum prosapia,
Meccenas venerande, inter no-
biliores orbis terrarum Princi-
pum familias tanquam Hespe-
rus lucet, in quem ante CCC. an-
nos R V D O L P H V S HABs.
PVRGENSIS Imperator primus summū splen-
dorem intulit, & ab eo tépore Augustalis digni-
tas plerunque apud eam remansit. Quod cùm a-
pud me diligentius memoria complecti soleo, re-
liquis tūm id mirabilibus Dei factis adnumeran-
dum censeo. Evidem si nobis ob oculos po-
suerimus aliorum Principum illustres familias,
quæ tam diu dignitatem ynà cum propagatione
generis conseruarunt, atque hæc: præter huius in-
clyti Regni Francici Reges, longa serie à VVide-
kindo Saxone, quem Karolus Magnus ab Ethni-
cismo ad fidem Christianam conuertit, abnepo-
téque eius Hugone Capeto descéndentes, ex quo-

E P I S T O L A

rum prosapia hic Karolus IX. pietatis ac iustitiae
 studiosus, vñ à cū duobus fratribus, Principibús-
 que Borboniis superest, perpaucē inueniētur. An-
 gliæ etenim regum stirps, quæ à Normāniæ du-
 cibus paternam originem duxerat, in Henrico I.
 extincta est. Andegauēsis quæ huic successerat in
 Richardo III. tertia quoque illa, quæ tēpore Hen-
 rici VII. ad regnum accesserat, nostro tempore in
 Eduardo VI. adolescentē desiit. Sic etiam Scotiæ
 in Alexádro III. Brusiorum in Dauide II. Stuar-
 dorum in Iacobo V. non ita pridem propagines
 nomināque perierunt. Castiliæ, in Henrico IIII.
 Aragoniæ in Ferdinando V. Mutationes quoque
 suas habuit nobilissimum illud regnum Neapo-
 litanū, in quo primū dominata est familia Nor-
 mānorū seu Guiscardorum, à qua regnū ipsum
 est cōstitutum. Huic successerat familia Sueuica,
 cui Gallica, quæ etiam aliquot Reges dedit Hun-
 gariæ. Postremò Aragonij, quorum iam est hæ-
 res Augustissima familia Austriaca, q̄ Neapolī
 item rerum potitur. Eodem ferētempore desie-
 runt regnare veteres familiæ in Dania, Suecia, &
 Noruegia. Ducenti propemodum circumacti
 sunt anni, ex quo Margareta Valdemari Regis
 Daniæ filia, quæ Aquino Noruegix Regi nupse-
 rat, cœpit regnare in Dania & Noruegia, & tan-
 dem etiam in Suecia capto, post commissam pu-
 gnā, Alberto Megapolensi, quem Sueci sibi præ-
 fecerant. In his tribus Regnis successit ei Ericus

Pomera-

Pomeranus, Erico autē Christophorus Bauarus,
& Christophoro Christiernus Comes Aldēburgensis, cuius posteritas hoc tēpore regnat in Dania, Noruegia, & Holsatia. Sueci enim à tempore huius Christierni sēpe seiunxerunt se à Danis & Noruegis, ob quam rem aliquoties in magnas calamitates (ut ferē fit) inciderunt: cùm Dani eos ad veterem illam trium Regnorum coniunctionem conarentur reducere. Varia itaque Suecis fortuna dominata est, donec Gustauus pater Erici qui iā regnat, Danos ex Suecia planè eiecit, Regnumq; variis bellis & seditionibus dilaceratum pristino splendori restituit: aliæque innumerabiles familię (quarum catalogūm instituere nō est huius loci) breuissimo temporis spatio extinctæ sunt. Atque nelongè petita exempla intucamur, crebras mutationes familiarum Pánonia nostra pertulit, deleta sancti Stephani Regis stirpe. Habuit enim ea ex familiis Neapolitana, quæ fuit origine Gallica Karolum Siculum. Deinde ex Bauarica, Ottinem: ex Lucelburgēsi, quæ Regno Bohemiæ non admodum diu imperavit, Sigismundum. Ex hac principum nostrorum illustrissima familia Albertum Imp. pòst ex Polonica Ladislaum, deinde Alberti filiu Ladislaum, cui præmatura morte adépto successit Matthias Coruinus, sua & parentis virtute clarissimus: quamuis generis nobilitate cum aliis nequaquam conferendus, Sæpe tamen præstātes Principes Deus ex humili loco excitat,

cuius rei multa videtur exempla in historiis cùm
 aliis, tūm Romanis apud Liuium, qui, Dum nul-
 lum (inquit) fastiditur genus, in quo eniteret vir-
 tus, creuit Romanū Imperium. Extincto Matthia
 denuò ad regnum peruerterū Poloni, quibus hęc
 nobilissima Austriae familia successit, cuius Impe-
 rio etiamnum paret: Amplissimum etiā Poloniæ
 regnum deleto perantiquo regū steinmate in no-
 uam gentem lagellonum translatum est, ex qua
 Sigismundus Augustus iam vnicus superest. Vn-
 de verissimū esse illud oraculi dictum videmus,
 αὐτὶς καὶ πάσις οἱ παιδεῖαι εἰς ταῦτα. Sunt enim fatales
 regnorum periodi, familiarūmq; Principū quasi
 anniuersarię vicissitudines. Imperia quippe in ma-
 nu Domini sunt, qui ea ad tempus iis largiri so-
 let, quos ipse dignos iudicauerit. Quamobrem
 cùm cōplures familias breui téporis periodo inte-
 riisse constet: hanc verò Austriacam beneficio Di-
 uino in Europa adhuc longè latēque regnantem,
 magis magisque in dies florentem videamus: non
 sine singulari Dei prouidentia conseruari eam cer-
 tissimum est. Multos semper aduersarios habuit
 hęc familia, tūm verò potissimum, cùm crescere
 & euehi in summam dignitatem inciperet. Nam
 & R V D O L P H V S Imp. virtute sua ad culmen Im-
 perij euectus, ilico habuit aduersarium Ottocha-
 rum Bohemorum regem, cum quo bis conflixit
 fœlicissimè. Gessit & eius posteritas cum Baua-
 ris vicinis, Pannoniis, Bohemis, & Polonis ma-
 gna-

gna bella: & in his Albertus II. Imp. Hungariæ & Bohemiæ Rex, cōtra Amurathem Turcarum tyrānum, quem Hungariam depopulantem, expugnatis Sindonia & Thessalonica Græciæ vrbi- bus, turpiter aufugere compulit. Nec minor fuit in Friderico III. Imp. virtus, Nec in Diuo Maximiliano I. Imp. eius filio, qui paternarū ditionum hæres, Imperiique successor, Burgundico, quod à multis ambiebatur, matrimonio ditatus, Burgundiā magnāmq; Belgij partem, à Ludouico X L Franciæ Rege, per vim occupatas, recuperauit, atque collabentes suæ familiæ vires restaurauit, æternūmque & illustre nomen clarissimæ præstan- tissimæq; suæ virtutis, toti posteritati tradidit. Sed non dissimilē in Philippo fatalēmque fortunam, seu potius Dei Opt. Max. incredibilem erga hanc familiam benevolentiam cōspeximus. Nam Iohanne Principe Ferdinandi & Isabellæ catholico- rū filio, eiūsque prole post huma mortuis, Isabella natu maiori sorore, quæ duobus Lusitaniæ Regibus Alphonso & Emanuēli nupserat, ipsiūsq; sole vita defunctis, soli Iohannē, & Philippo Austriaco amplissima totius orbis terrarū imperia diuinitus reseruata fuisse videtur, prout in diuis KA ROLO V. & FERDINANDO I. Impp. & eorū liberis vidimus, qui vltra Imperatorium splen- dorem opulentissima etiam Hungariæ & Bohemiæ Regna ad se perduxerūt. Atque quoniam πατρα- χός την οὐτινή θεματασκήν. Διὸ καὶ φθίνος αὐτῆς οὐταπ.

Karolo

EPISTOLA

Karolo namque V. à teneris annis ad senectam usque configendum erat, similitates inimicorum occultas virtute bellica repressuro. Ferdinandus verò, cuius hīc sanctam memoriam celebrare conatus sumus, cùm vix pubertatis annos attigerat, multis maximisque per totam suam vitā periculis & laboribus expositus fuit, ut hac unica ratione à maiorib' sibi relictas dignitates saluas & in columnes retineret. Ex eo supersunt adhuc nobis MAXIMILIANVS II. continua eius familiæ successione VI. Romanorum Imperator Augustus, ac FERDINANDVS KAROLVSQUE fratres, Archiduces Austricę, &c. quos, ut Deuscōseruare velit, conatusq; eoru fortunet, ex animo optarim. Importunis autē amicorum precibus, quibus nihil honesta petētibus denegare potui, breuiter & tumultuarie inclyti FERDINANDI Cæsaris nostri, fœlicis recordationis, vitæ cursum præterito anno ad X III. Kalend Octobreis, quo die hīc Parisius nomine liberalissimisque sumptibus Christianissimi Regis Galliarum iusta præclari Imperatoris nostri honorificentissimè summōque luctu peragebantur, scripto complexus sum, quod tuę Amplitudini dicaui, non eo nomine, quod politis auribus tuis hisce satisfieri posse existimarem, cui res gestae summi atque optimi Imperatoris exactissimè cognitæ sunt: cùm eius maiestati tu à consiliis intimis fueris, sed ut mœroris animi mei monumenta quædam clarissima extarēt.

Moue-

Mouerunt me quoque cùm aliæ multæ iustissimæque causæ , vt orationem hanc meam exilem & incultam , sensus tamen & dolores meos habétem, sub tuæ amplitudinis nomine emitterem: tûm verò illa præcipuè , quòd idem Augustissimæ memoriarum Cæsar te ppter animi tui pulcherimas & laudatissimas dotes magnifecerit , summóque fauore prosequutus fuerit. Huc quoque accedit, quòd mea amplitudo tua immenso beneficiorum cumulo sibi in perpetuum deuinxerit, quibus singulari sempiternaque memoria, ac pietate summa respondere totis viribus enitor. Difficillimè autem in hanc arenam deduci me passus sum, doctissimorum tamen nobilissimorumque quorundam virorum rogatu, qui hoc à me admodum efflagitarunt, quibusque pertenuit illud scriptum in re satis ardua vtcunque placuit , motus has tibi primitias offerre volui. Non enim dubitamus quin & hanc eandem materiam , æterna recordatione dignissimā multi alij, quibuscum ego neque ingenio , neque ætate sum comparandus , cumulatiūs & ornatiūs sint aliquando tractaturi. Interea verò , Reuerendissime Præsul , vt hanc meam qualemcunque lucubrationē quam tibi in huiusc anni (quem tuæ Amplitudini tuis que optamus fœlicissimū) primordiis dicamus, æqui bonique consulas etiam atque etiam oro.
Vale m̄sōnū t̄c̄s̄t̄d̄. Lutetiaæ Parisiorum, anno

EPISTOLA NUNCUPATORIA:
ab humano genere seruato CIC 10 LXV. ka-
lendis Ianuarij.

Reuerendissimæ amplitudinituæ.

Deuinctissimus.

Martinus Berzeuicæus
Pannonius.

AD FERDINANDI I. IMP.
Augusti manes ἀρεσφῆ.

Qui landanda facit, nihil ille encomia curat:

Nam virtus genio se probat ipsa suo.

Nec tu præconis, Cæsar ter maxime, chartis

Qui tua victoris nomina mandet, eges.

Ipse tua clares à stirpe, tuæq; perennes

Virtutis testes Arctòs & Eurus erunt.

Nec tamen, æternis quisquis tua stemmata fastis

Adserit, officio non iuuat ille suo.

Grati animi est patriam grati est celebrare parentes:

Gratius at Reges est celebrare suos.

Quare agè Martinum grati sine peccoris esse:

Vel sine sit placita nobilis ille nota.

Franciscus Thorius Bellio.



ORATIO FVNEBRIS DE IN-
VICTISSIMO FERDINANDO I. ROM.
Imp. Augustissimo.

VETVS verbum est, Homo bulla:
quo verbo nec breuius , nec sapien-
tius vitæ humanae conditio describi
potuit. Etsi enim egregias & admir-
abiles humanae naturæ dotes specta-
ti videbitur homo ipse præ cæteris a-
nimantibus præclara quadam conditione generatus esse à
supremo Deo: quinetiam homines ipsos inter se cōparan-
ti, tanto videbitur homo homini præstare, quanto aurum
præstat argento: attamen ea mortis severissima lege ad ex-
tremum in tantam angustiam redigitur, ut experiamur
haud obscurè eius conditionem non dis̄similem fuisse bul-
larum, quæ in aquis citius momento interiere. Atque illa
quidem excellentia cùm in summis Monarchis quondam
claruit, tūm maximè his proximis temporibus (ut præter-
eam superioris sæculi Principes) in KAROLO V. ac fra-
tre eius FERDINANDO I. ḍe τῷ τούτῳ λέγου ὑπὸ θεοῦ
παρέχει, Diuis Impp. qui æquè Palladis ac Martis studio
illustres fuere. Quippè videmus res omnes à natura geni-
tas suo quodem tempore in pulcherrimo statu esse, tādem
tamen perire: ita & illa excellentia in hominibus ad ali-
quod tempus viget, quo exacto vñā cum ipsis marcescit.

Disputatū est & inter priscos Philosophos de causa huius mutationis, præsertim in homine omnium rerum creatarum re præstatiſſima. Sed quo longius progreſſi, tanto maiori caligine offusi sunt, Gigantum more Deo incassum obſuetantes. Quare nos ſimus contenti illa Philosophia diuina, quæ cœlitus patefacta ostendit huius mutationis cauſam euidentiſſimam, culpam nempe primorum parentum, admiremūrque ſummi architecti potentiam, & paternam erga genus humanum ſoerlū, qui huiusmodi duo luminaria noſtro tempore Christianæ Reip. dederat, ite- rūmq; nobis ob noſtrā fortuſe & xq; eripuit. Cæterū, lubens conſiteor, et ſi præ imbecillitate ingenij huic tantæ rei impar, metuam ne in ipſo veſtibulo oneris grauitati ſuccumbam. Grauiſſimum enim onus eſſe recte noui illuſtriſ. viriſ, ut quam viuentes habuere celebritatem, eandem etiam mortuis oratione pro dignitate tribui poſſe: ta- men hoc qualecunque meum ſtudium inclytæ domui Auſtricæ, cuius autoritas & maiestas apud omnes valet, de- inde dulciſſimæ patriæ meæ, quam Diuus Imperator con- tra motus Barbarorum per X X X V I I. circiter annos in- defeffo ſtudio protexit, denique omnibus bonis viriſ, qui gratum animum potiū meum, quam vanam oſtentationem & quo iudicio penſabunt, in primis probatum iri conſido. Id enim omnino pietas à me, qui vixerim pænè à pueris in aula ipsius maiestatis requirebat, ut hoc nomine pietatem, & gratiæ mentis ſpecimen erga optimum Imperatorem apud omnes teſtatum relinquerem. Prætermate- riae grauitatem versatur in animo ſummus dolor, ex mor- te Auguſti Imperatoris, quem quo verbo appellem non re-

ORATIO FVNEBRI.

perio, tum cum in Anglia essem, quo ex Gallia cupidus
 visendi aulā serenissimae Elizabethae Reginæ omni virtu
 tum genere illustris, traieceram, contractus. Testatur &
 patria mea squallida suum mœrorem & mœstiam dolorum
 insignibus, orbata nimirum paterno rectore: ut ta-
 ceam de serenissimis libris maiestatis ipsius: præsertim ve-
 rò MAXIMILIANO II. Cæsare Domino meo clemen-
 tiſſimo, cuius in humeris tanquam Atlantis cuiusdam pa-
 trium onus iure hæreditario totum residet. Quid alios Reges & Principes, qui eius pietatem, autoritatem,
 in gubernando accuratam industriam suspiciebant, refe-
 ram? Nec solūm (ἀ πέντε τοῦ Αὐγούστου) Christiana Res-
 pub. verū & homines barbari ἐνεργεπτῆς καὶ αὐτοὶ οἱ
 θιαὶ αὐτοῦ præclarè erga eius Maiestatem erant affecti.
 Tota, inquam, Europa nunquam satis laudato hoc Impe-
 ratore extincto quantam cladem accepit nemo non videt.
 Sed ut propius ad rem accedamus, Natus erat in Regno
 Caſtiliae Modinæ V I. Idus Martij, anno Christi C I O
 I O I I I. patre Philippo Rege Hispaniarū, Maximilia-
 ni I. Cæsar is fælicis recordationis filio: matre verò Iohan-
 na Ferdinandi & Isabellæ Aragoniæ & Caſtiliæ Regum
 filia, unde perspicuum est paterna origine Austriadem, ma-
 terna Hispanū fuisse. Postquā in pietate bonisq; discipli-
 nis educatus fuisset, adolescens ex Hispaniis unà cum fra-
 tre Gandaū urbem ampliā, Comitū Flandriæ sedē anti-
 quam: Karolo V. verò solum natale petit: ubi præter alias
 linguas nempe Hispanicam atque Italicā, Germanicam,
 & Gallicam in primis adeò sibi familiarem fecerat, ut e-
 tiam Galli loquentem attoniti admirarentur. In Latina

autē quām versatus fuerit, omnes eius maiestati notos testor. Studia Philosophica summo studio amplexus est, nec eius Maiestati quidquam antiquius fuit, quām sāpius conferre cum doctissimis quibusque viris ubi à publicis curis resp̄pirare licuisset. O præclarum Imperatorem cuius aula plurimorum Doctorum virorum frequentia florebat: illi erant eius deliciæ, illorū eruditione se valde oblectabat, præsertim cùm se ex illa curarum mole, ut dixi, subduxisset. Verū enim uero & inter prædendum, quod verè erat philosophicum, solitus erat de rebus variis cum admiratione adstantium exquisitè differere, & quidem de natura animalium, quæ usque adeo pœnitus eius Maiestati erat nota, ut etiam suis medicis clarissimis inter disputationandum satis negotiū faceret. Quid de memoria admiranda herclè & pœnè diuina dicam? Rerum gestarum vel antiquissimarū, quas ante multos annos legerat, seriem ubi res poscebat, præcipue in cōfessib⁹ Principum non sine laude admirationeque commemorabat. Nec eius Maiestatem latebat cognitio φυσιογνωμoniæ. Ex ipso enim aspectu hominis naturam & temperamentum facile cognorat. μαθητæ autem cognitio, quæ est Philosophiae pars, doctissimorum virorum iudicio non postrema, admodum eiusdem Maiestati grata fuit, in qua & frater K A R O L V S & eius Maiestas apprimè excellebant. Simul etiam artis æximioriū, si quis Principum hac ætate, certè FER DIN A ND V S peritissimus fuit, prout eius rei evidentissima documenta extant. Nequam autem alienum proposito meo fecero, si id quod ipse vidi cùm essem in comitatu Reuerendissimi Francisci Forgach

ORATIO FVNEBRI.

Forgach de Gymes Antistitis Varadinensis, Consiliarij ac Procancellarij in Hungaria eius Maiestatis, interiecerō: Ante biennium iter eius Maiestas faciebat ex Bohemia per Voitlandiam ditionem illusfrissimi Principis Georgij Friderici Marchionis Brandenburgensis, qui tractus antiquitus Variscorum est dictus, Francofurtum ad conuentum Imperiale: In oppido Blassemburgo, cui ab Oriente arx totius Germaniae munitissima in monte non admodum edito, posita, prominet: loci visendi causa, qui tunc muniebatur, diem unum Maiestas ipsius constituerat cum Marchione qui id demissè petebat, rogatus inuisit arcem, munitionēmque diligenter perlustrat, insuper etiam eius forma secundum quam conficienda ea erat, depicta in charta ipsius Maiestati exhibetur. Qua visa, ingeniosè vitia quædam animaduertit, quæ ne Architectus quidem Marchionis nedum ipse deprehendere poterat. Atque, ut uno verbo dicam, omnibus virtutum ornamentis excellentissimus Imperator instrutus erat, quæ in hominem Principem raro, nec nisi diuinitus cadere solent. Oratus patre auoque paterno, dicit in matrimonium anno etatis suæ XVIII. Serenissimā ANNAM Reginam, Ludouici Regis Hungariæ sororem unicam, cum qua anno Christi C I O I O XXI. Lincy, quod est oppidum superioris Austriae præcipuum, mense Maio nuptias celebrat: quo anno Solymānus Turcarum Imperator Ludouico Regi Hungariæ Belgradum, alias Taurinum dictum, Liburniæ proximum ad Danubij & Savi confluentiam situm, vi eripit. Sed quām citò iuuenem Principem curae grauiissimæ Imperij consequuntur, qui per absentiam fratris conuen-

conuictibus saepius interfuit, ac loco fratriis Imperij res ad-
ministravit. Primo omnium autem usus est eius opera
Cæsar, Anno seruatoris nostri C I O I O XXVI. in Con-
uentu Spirensi, in quo præter alia negotia etiam decreta
fuerant auxilia Ludouico Regi contra hostem infestissi-
mum totius Christianismi. At ô bone Deus nimis sero.
Iam enim commisso prælio IIII. kalend. Sextil. inter Bu-
dam & Quinq; ecclesias ad oppidum Mohach, unde &
bellum Mohachense meæ patriæ funestissimum nomen
sumpsit. Rex agès annum XX. superatur, ac miserrimè in
lacuna equo oppressus, interiit. Hanc cladem precesserat
anno Domini C I O C C C C X L L pridie Martini ad
Varnam, in qua bellicosissimus ac perquam strenuus Rex
Ladislaus acriter pro salute patriæ contra Ammurathem
dimicans, occubuit. Duobus itaque maximis vulneribus
Hungaricæ gentis omne robur concidit, nec ab eo tempo-
re vires suas integras recuperare potuit subiecta perpetuis
armis. Extincto Ludouico, magna pars Regulorum Pan-
noniæ pari suffragio Imperium Ferdinando tum Archi-
duci Austriae desert, cum ob affinitatem illam, quæ ei
cum Ludouico Rege intercessit: tum quod ex hac familia
salutares Hungaria antea Reges habuisset: postremò quod
etiam memor esset illius contractus, quem Cæsar M A X I
M I L I A N V S I. cū Vladislao Ludouici patre, anno Do-
mini C I O C C C C L X X X I. pepigerat, iterumque
C I O I O X V. Viennæ præsente Sigismundo Rege Polo-
niæ, aliisque Imperij principibus renouauerat: ut alterius
deficiente sobole in alterum summa rei deuolueretur. Ve-
rum confessim obtigit eius Maiestati aduersarius Iohan-

ORATIO FVNEBRIS.

nes de Sapolia, Comes perpetuus Scopustensis ac Transyl-
uaniæ prouinciae Vayuoda, priceps magno ingenio bellí-
que peritus, cuius familia de Regno prius non malè meri-
ta erat. Hic ab obitu Regis praecipua loca Regni occu-
pat, ac ab eis qui ipsius erant partium Regali diadematæ
in signitur. Interea tamen Bohemorū erga se studium, qui
eius Maiestati regnum unà cum corona obtulerant, mi-
nimè negligendum Ferdinandus existimauit, à quibus
Maiestas ipsius cum ANNA Regina Pragæ CIC 10
XXVII. regno inaugurator, quo anno MAXIMILIA-
NVS, IIII Nonas Augusti Viennæ in lucem editus est,
cuius nunc optima spe uniuersa propemodum Europa re-
tum prosperitatE & successum praestolatur. In Pannonia
autem cum res ad arma spectarent, aliisque diuersa studia
sequerentur, armis ius suum contra Iohannē persequendum
censuit. Vtrinque igitur collatis signis Iohannes vincitur,
hic verò belli vicitor Budā regiam sedcm proficiscitur co-
mitia celebraturus: illinc Albā Regiam inaugurationis
causa, que in diem Diuorum Simonis & Iudæ inciderat,
anno eodē contendit. Iohannes ut hanc cladē quodammodo.
victisci posset, cuius in ore illud Vergilianū fuisse fertur:
Flectere si nequeam superos Acherōta mouebo,
Ottomannorum sese clientelæ dedit, simûlque per flie-
ronymum à Lasko Polonum legatum suum auxilia sol-
licitat non sine Hungarie exitio, quod passa est anno
CIC 10 XXIX. cum Turcarum Imperator totis suis vi-
ribus ad obsidionem Viennensem per Hungariam iter
conficeret: Omnia enim quæcumque ei erant facta obvia,
igne & ferro consumebat: quod sine lacrymis commemo-

rari vix potest. *Quis* igitur dubitat quin optimus Imperator tunc iuuenis grauiſſimis curis ſollicitatus, ſummiſq; periculis, quæ pro incolumitate ſuorum patui faciebat, obiectus fuerit? à quibus singulari Dei beneficio ſeruatus eſt, opponentibus ſe fortiter Philippo Palatino, ciuibūſq; Viēnensibus, inſtante etiā afferrimo frigore, quod Turcis magnam cladem intulerat, unde nō ſine magno dedecore infecta re iterum per Pannoniam relicto Iohanne Budæ quam recens expugnarat, quæ eſt Hungariæ Regum pri-maria ſedes reuersi ſunt: hocq; anno FERDINANDVS ſecundus à MAXIMILIANO filius Lincy nascitur. Spectata Maiestatis eius industria, quā abſente Cæſare ſeipiis in Imperij conuentibus probauit (Non enim Cæſari intereffe licuit, qui tam Hispanicis, quam Italicis ne-gotiiſ diſtrahebatur) placuit in primis Cæſari, deinde Elec-toribus ac ſtatibus, ordinibūſque Imperij, ut pro ſuccelfo-re Imperatoris agnoveretur, eiūſque rei cauſa Colonię an-no Domini C I O I O XXXI. conuentus habitus eſt ubi Rex Romanorum declaratur: Post Aquisgrani more ſo-lito corona donatur. Deinde controuerſiſ omnibus compoſitiſ eſt decisio, quæ intercedebant cum Iohāne Friderico Electore Duce Saxoniae, Philippo Landgraui, & Vlri-co Duce Virtembergensi, qui beneficiarius domus Au-ſtriæ factus eſt, omneis ſuas cogitationes eò dirigit, ut Turcam hostem Christianorum infiſtiſſimum intra ſuos fines coērcere poſſet, atque anno ſeruatoris noſtri C I O I O XL I. cum p̄terito anno Iohannes V ayuoda vitam cum morte commutasset, Budam obſidione cingit, ubi Eliza-betha eius coniunx cum filio Iohanne morabatur, Quæ quod

ORATIO FVNEBRI.

quòd videret se imparem esse tam valido inimico à Turcarum Imperatore auxilium implorat. Is itaque numerosissimo exercitu Budæ appropinquat, sicque conatus optimi Imperatoris impediuit: urbe occupata, viduaque cum infante Iohanne in Transylvanianam omnibus suis impedimentis ablegata. Cum hac nō successisset via, alia infestissimum hostem adoriri constituit, misertus nostrorum vice miserrimam. Impetrato igitur ab Imperio auxilio, denuo expeditionem mouet oppugnaturus Pestum oppidum, in citeriore parte Danubij, è regione Budensis urbis situm, quo capto facilius Regiam recuperari posse sperabat. Et quidem in hac expeditione militabant præstantissimæ familiæ Germanorum, in his Ioachimus Elector & Albertus Marchiones Brandenburgenses, Mauricius dux Saxoniae, qui tum optimæ spei iuuenis erat. Verum & hunc optimum conatum pestilentia, quæ castra nostrorum inuaserat, elusit: quod cum dispendio non solum ærarij Regij, sed etiam multorū hominū factū est. Hoc infælici exitu nostrorum Barbarus excitatus, occasioneq; rei bene gerenda obliterata, nō multò post munitissima propugnacula Hungariae: Strigonium Archiepiscopalem sedem amplissimā, Quinq; ecclesiastis urbem Episcopalem opulentam, denique Albam Regiam oppidum sepultura & inauguracione Regum Hungariae nobilissimum, capit. Nō ideo Majestas eius accusanda est huius status perturbatissimi in Hungaria: quemadmodum multos sine iudicio equidem hac de re disputantes audiui. Quid quæso nō præstitit pro recuperanda Pannonia? An sumptibus maximis, populis, curis pepercit? An non vitam pro salute suorum non inui-

tus profudisset? Nónne etiam filiū FERDINANDVM
 anno C I O I O L VI. in H̄ugariam cū exercitu Germa-
 norū & Bohemorum expediuerat, cuius auspiciis ductore
 exercitus Illustri ac Magnifico Comite Thoma Nadaf-
 deo Palatino Regni H̄ugariae, de cuius præstātia & me-
 ritis in Rēp. quōd nihil lubet dicere, nihil quidquā dixe-
 ro: unā cum insigni arce Babocha, quędā etiā castella alia
 deditione, alia vi capta fuerūt? Tueor etenim hic innocen-
 tiā Palatini excellētis heroīs, qui à Germanicis nōnullis
 uincitores unā militantibus, successibūsq; ipsius inuidenti-
 bus, apud maiestatem ipsius nominis & famae multo pe-
 riculo insimulabatur, sed sua maiestas, cui iam antea Pa-
 latini antiqua fides integritāsque perspecta erat, pro sua
 prudētia locum calumniæ nullū reliquerat. Anno Domi-
 ni C I O I O X L V I I. quo bellū Saxonīcū cum fratre KA-
 ROLO sustinuit, ANNA Regina, mater quīdecim libe-
 rorum maiestatis ipsius coniunx carissima, cūm ante bi-
 duum peperisset filiolam Iohannam V I. kal. Februar. mo-
 ritur. Spectatissima fœmina omnes sui temporis in primis
 pietate, mansuetudine, liberalitate facile præcelluit. Con-
 stat ipsam precationibus aliisque piis meditationibus ma-
 ximam partem temporis tribuisse, ardenterque usque ad
 extremū vitæ suæ diem, tam pro fœlici gubernatione ma-
 riti dulcissimi, quam etiam liberorum patriæque suæ affi-
 ctæ salute, ad Deum preces fudit. Beneficam erga om-
 nes sese exhibuit, multorū vitam sua deprecatione apud
 virum suum, etiam qui grauiſſime maiestatē ipsius offendit,
 seruauit. Patrocinabatur omnibus, maximē verò
 suæ genti Pannonicæ. Liberalissimis insuper sumptibus

ORATIO PYNEBRIS.

exordio xxi erigi iussit, in quibus pauperes non solum vietu
 quotidiano, sed etiam medicorum opera, qui ad id saltē
 sunt destinati, curantur. In liberis educandis fuit solertissi
 ma parens, quos in disciplina pietatis aluit: cuius rei exem
 plar videre est in serenissimis eius filiabus, quae Oenipon
 ti vitam degunt cum summo pietatis cultu. Hoc eodē an
 no à reditu ex bello Saxonico cōpescuit Bohemorum quo
 rundam contra eius maiestatem seditiones, quibusdā ve
 rò qui per imprudentiam lapsi essent, ignouit. Ac sua qui
 dem clementia qua instinctu quodam naturæ prædicta ma
 iestas ipsius erat, etiam apud exterorū gratiam sibi conci
 liauit. Ea enim freti Constantienses, qui paulo antè à Ca
 rolo V. Imp. in Comitiis Imperialibus Augustanis proscripti
 essent, neque salutis viam ullam viderent: Anno Ser
 uatoris nostri C I O I O X L V I I I . maiestati eius totique do
 mui Austriadum sese dēdiderunt. Quid de nostratibus
 Pannonicis, ubi quidam turbulenti homines contra eius
 maiestatem arma capere non sunt veriti immemores offi
 cijs, ut legibus patriæ violatis, salutē cōmuni labefactata,
 magistratum denique autoritate sublata, ~~καρπχλω~~ quan
 dam constituerent? Quāuis autem magistratus interdum
 publica tranquillitatis causa seditionis vel potius perturba
 toribus societatis humanæ (ne in eiusmodi pestes quidquā
 grauius dicatur) conniuere soleat: tamē Deus ~~κατ~~ τινε
 & ακαυσώνης atrocia delicta gauissimis pœnis punit: ve
 luti illos qui ex triginta tyrannis Atheniensibus erant,
 mirabili consilio ultus est, quorum alijs à collegis propina
 to veneno necati sunt, ut Theramenes, alijs etiam similes
 exitus habuerunt: similiter nostrates dantes pœnam pa
 c iij trati

trati facinoris miserrimè in vinculis perpetuis, & quidem apud hostes, quibus multum fidebant, periēre, nonnulli autem alio modo diuinias pœnas subierunt. Et velut illi plures ciues intra octo menses trucidarunt quam decennio ab hostibus interficti fuerant, ita hi procul dubio breuissimo tempore maiores calamitates patriæ intulerunt, quam ab inimicis etiam longissimo tempore accepisset. Summa autem erat in ipsis maiestate moderatio animi, que in homine Principe maximè admiranda est iuncta cum tranquillitate, quas virtutes omnibus fortunæ bonis prætulit, quarum causa sanè etiam de summo iure cessisse non dubium est. Non enim modo est liberale, paululum nonnunquam de suo iure decidere, sed interdum etiam fructuosum. Plurimum itē medius fidius momēti adfert Rebus publicis magistratum benignitas, in tota vita ipsorum æquabilitas, que si in eis desunt, Respub. interdum conflictantur ob principum duriores affectus. Et quātò benigniores sunt, tantò magis magnanimi & fortes viri, inque rerum administratione præclarissimi censentur. Euertere illud nobilissimum Rom. Imperiū, cum aliorū, cum Cæsaris ac Pompeij errabūdi affectus, quorū neuter illa pulcherrima placabilitatis virtute, qua vel in hostes interdū utendum est, certare voluit. Hinc ciuium dissensiones ortæ, populi diuersæ factiones natæ, ad extremum tota Respub. collapsa est. Hic noster optimus Imperator, in quo præter placabilitatem, qua nihil laudabilius digniusque est in magno & præclaro viro, etiam altitudo animi erat, hostium amicus esse solebat, qua ratione eos ut plurimum ad officium perduxit. Non cessit affectibus subitis atque intem pestiniis,

pestiuis, quos Palladis studio ita moderabatur, ut perpe-
 tuu sui similes & sapientia plenos affectus in eius maiesta-
 te cernerentur. Huc accedit verissimum esse sapientissi-
 mum illius Comici consilium: longè illum à sua sententia
 errare, (inquit) qui imperium credat grauius esse, aut sta-
 bilius, vi quod sit, quam illud quod amicitia adiungitur.
 Nimis fortasse delicatis auribus molestus sum hæc cōme-
 morando, quæ in piissimo Imperatore clarissimè eluxere.
 Abstineo me igitur, ne dū hæc à me aga, iure optimo ab
 aliis deridear. Non parua quoque beneficia hisce suis
 virtutibus, si recte perpenderimus, in Rempub. contulit.
 Quam Tragicam in Metamorphosin Reip. status perue-
 nisset, nisi maiestas eius Karoli fratri, & Mauricianorū
 offensos animos placauisset, quilibet cōicere potest. Non
 latuit ipsius maiestatem quāta sit pestis turbata Respub,
 quam concitare cuiusvis esse potest, sed in tranquillum re-
 stituere solius Dei. Si nihil vñquā aliud præstitisset. Reip.
 de qua alias multis nominibus maiestas eius bene merita
 est, quam quod sanatis principum exulceratis animis Im-
 perio pacem donauerit: ob hanc, inquam, vñicam cāusam
 sacrum Romanum Imperium ipsius maiestati, eiusdēmque
 hæredibus deuinctum esse deberet. Nec dubium est mai-
 estatem eius plus Reipub. Christianæ bonis ac salutaribus
 consiliis commodasse, quam eos qui armorum vim liber-
 tatis vindicandæ gratia experiri maluerunt posthabi-
 to bono consilio. Totum igitur illud tempus quo maiestas
 ipsius Rempub. gubernauit, n̄ possum dici possit. tūm e-
 nim publicus status trāquillus fuit, tūm artes excitatæ ac

ergò præteriri non debet. In suis enim regnis hæreditariis
 paßim scholas ecclesiásque sumptuosissimas extruēdas cu-
 rauit, iisq; amplos redditus attribuit, quibus pīj Doctores
 aluntur: præsertim Oeniponti, qui locus Maximiliano I.
 Cæsari auo instar deliciarū fuit. Anno C I C I C L V. in Co-
 mitiis Imperialibus Auguſtæ Iohanna matri sue charissi-
 me in Hispaniis mortuæ parētalia celebrat: & hic est po-
 stremus conuentus, qui Cæsare Karolo V. in Germania
 commorante indictus fuit. Non multo enim postea tem-
 pore cōfectus non tām ætate, quām grauiſſimis curis, quas
 Imperij causa pertulerat, cui per XX X V I I. annos præfue-
 rat, tūm in Hispaniam se confert, vitam priuatam actu-
 rus, unde legatos amplissimos paulo ante mortem in Ger-
 maniam miserat, per quos Imperij administrationē se ab-
 dicasse testatus est. Eo factō, anno Domini C I C I C
 L V I I I. quo anno X I. kalēd. Octobreis Karolus mortuus
 est, habetur Francofurti ad Moganum celebris conuen-
 tus, in quo electores eius maiestati, ut iam Imperatori fidē
 atque obedientiam ritè præstant. Ereclū autem erat in fo-
 ro tabernaculum quoddam ligneum, cui propter eminen-
 tiā, gradus erant adiuncti per quos Imperatori ascendend-
 dum esset. Die itaque præstituta locum illum editum peri-
 stromatis tām aureis, quām sericis instratū, Imperator insi-
 gnibus Imperialibus ornatus concendit, thronoque Impe-
 riali insidet: tandem ordine Electores agminatim concita-
 tis cursibus prodeunt, comitati equitum maxima turma,
 sedemq; Imperatoriam ter circumequitare, ad haec magno
 cum clāgore tām Cæsariani, quām Electorum tubicines
 alternatim symphoniam edere. Præferebantur etiā singulis
ſua

ORATIO FVNEBRI.

sua vexilla, in quibus dominiorum suorum, officiique Elecotoratus insignia apparebant. Finito clangore tubarum, Electores ex equis desiliunt, ordinéque Cæsarem adeunt, ubi prouolutis genubus Cæsari sedenti iusurandum praestiterunt. Conuentu dimisso Imperator Fracofurto Oenipontem, inde Viennam mense Nouembri secundo flumine Danubio, Anno CIC 15 LIX. redit, non sine insigni gratulatione prouincialium Austriae, qui eius maiestatem noua dignitate auctam pulcherrimo cum apparatu exceperant, expeditis magno numero peditibus magnificè exornatis, qui obuiam Imperatori ad Danubij portum usque processerat. Non procul aberant ipsi etiā Viennenses, quorum sumptibus hic triumphalis aduentus Imperatoris fiebat. In maiestate eius equo iam insidetem oratione gratulatoria excipiunt, deinde precantur fælicem in gubernando successum, postea Imperator comitatus non solum aule sua, aliorumq; prouincialium, sed etiam Hungaroru Barorum turba, qui aliquot septimanis ante aduentum ipsius maiestatis Viennæ opperiebatur, urbem gratulabundus, quod suos in officio videret, ingreditur MAXIMILIANO, qui interim munere parétis fungebatur, ac KAROLO, filiis præequitantibus. Viennæ demùm cū paulò diutius anno regnorū suorum vicinorum negotia administras set eaque composuisset, Pragam Bohemiæ metropolim ad conuentū anno CIC 15 LXI. cum KAROLO filio profi

KAROLI fratri nomine, neque id absque maximis laboribus, quibus p̄ianè cōficietur, viderētque etatem in dies ingrauescere, per quā cōmodè imperio pr̄esse vix amplius posset: merito sanè ac sapiēter futura ita pr̄aeuenienda existimauit, ne post mortem eius maiestatis aliqua mutatione Imperiū cōflictaretur, quæ interdū periculosisima esse solet: ut ait ille, Πᾶσαν μεταβολὴν τῆς πολιτείας θεωρήσει. Quāobrem pacto cum Turcarum Imperatore in octennium fēdere, Bohemos iterū conuocari iubet, quibus paucis ostendit ac declarat voluntatē suam de inauguran do filio MAXIMILIANO, quem aīe tredecim annos aut circiter in Regē sibi elegerāt. Bohemi re in delibera tionē vocata, uno cōsensu, coniunctisque voluntatibus maiestatis ipsius in hoc Regnū studium comprobant. Atqui inauguratio Hungarica pr̄ecedere debuisset, quemadmodū maiestas eius deliberauerat, sed impedimentū attulit huic rei mors optimi Herois comitis Thomae Nadasdæi pr̄incipui dignitate viri, fidelissimique maiestatis eius in Hungaria proregis, qui mense Junio in arce Egeruara fatis concesserat magno cum luctu Pannoniae. Eius illustre nomen tandem clarebit, dum memoria rerum Pannonicarum manebit. Pr̄stituitur dies in Bohemia coronatio nis ad XII. kalend. Octobreis C I C I D L X I I . MAXI MILIANVS verò sub id tempus Lincij unā cum Regina illustrissimisque suis liberis pestis causa, quæ Viennæ mirū in modum grassabatur, confidebat. Appropinquare igitur die coronationis, MAXIMILIANVS cum clarissima sua coniuge, serenissimisque suis filiis, atque illustrissimo pr̄eterea principe Alberto Duce utriusque Bauariae, eiisque

ORATIO FVNEBRI.

eiisque uxore comitatus Pragam venit pulcherrimo cum apparatu, qui in Equitibus Hungaricis valde exquisitus cōspiciebatur. Numerus Equitū Hungaricorum lectissimorū (erant enim in eo equitatu præstatiſimæ antiquissimæq; Pannonici Regni familiæ) circiter quadringentorū fuit, quibus præerat generosus ac magnificus Iohannes Petheu de Gerse comes Semproniensis & Comaroniensis Comitatuum, in eoruſdémque Regiis urbibus summus præfectus, Cōſiliarius, ac in Hungaria cubiculariorum magiſter S. Cæſareæ Regiæq; maiestatis, &c. multarū rerum vſu, linguarūmque variarum cognitione illuſtris. Absolutis Bohemicis rebus, Maiestas Imperatoria Francofurtū petit cum filio generoqe ad ordinū Imperij conuentum, qui paulo antè coronationē Bohemicā ibi indictus erat. Quo cùm venisset in cōſeffu Principum, aliorūmque Imperij statuum in primis eis gratias agit, quod dicto fuerint audientes, tamque frequentes cōuenient. Deinde causas exponit quibus moueatur, ut aliquis successor Imperij talis, tamen qui Illustrissimis Electoribus probabitur, eligeretur: inter alias autem causas, ætatis suæ rationem habendam esse ait, quæ adiutore in administrandis rebus Imperij omnino indigeat. Non dubitare etiam quin toti sit Imperio notissimum, quæta cum ſollicitudine, labore, atque animi alacritate vſque adhuc eius curā gesserit: nunc quoque eodem esse animo affectum. &c. quādiu vires ani-

inter quos primarium locum obtinet Bohemorum Rex, sapius in domum Senatoriam urbis conueniunt, & ad postrem re diligenter considerata, nemine alium huic rei magis idoneū reperiri Rege Bohemiæ uno ore omnes consententur. Quapropter res ad Cæsarem defertur: placuit, diesque inaugurationis indicitur. Antequam publicè suffragia Electorum nunciaretur, MAXIMILIANVS honesto cum pudore recusare videbatur. Nam et si (inquietabat) pergrata sibi fuerit Illusterrimorum Electorum de se preclara opinio: tamē se omnino huic prouinciae imparem esse, & ut hanc iustum excusationem & quo animo accipiat etiam atque etiā obsecrare. Patris tandem adductus autoritate, Imperiūq; de ipso optima existimatione id oneris VIII. kal. Decembreis in templo primatio subiit: quo in loco Rex Romanorū declaratus ac pronuntiatus est. Pridie electionis, Turcici Imperatoris legatus Ibraimus Strochenius, natione Polonus cū magno comitatu, impedimentisque nō vulgaribus ad Maiestatē Imperatoriam missus Francofurtum noctū in urbem introiuit hora circiter nona, ut vulgo loquimur, more autē Romano antiquo hora circiter quarta noctis, nō sine ipsius legati stomacho atque indignatione: quia cū hora fere sexta, vel ut olim Romani horas numerabant, duodecima ad portas urbis, paulò ante nō absque ratione clausas peruenisset, nona denique intromissus esset. Hoc enim suo Imperatori cōtumeliosum atque ignominiosum esse dicebat. Nam se noctu intromitti nō aliter, ac si esset vel latro, vel aliquis sceleratus. Non ita meritum esse Imperatore suum de nostro, ad quem tam longè disiunctum honoris ergo legationē amplissimam &

ORATIO FVNEBRIS.

eo quidem tempore cùm uniuersum Imperium vnà eſſet,
misericordia. Verum tamē die poſtero cùm pompa ſpectaſſet
egredientis ē templo primario Imperatoris, itēmque Ro-
manorum Regis recens creati, aliorūmque Principum co-
gatorum, placatus eſt, ſeque om̄ne iniuria memoriam ex
animo deleuiſſe oſtendit. V.kal.Decēbreis in aulam Im-
peratoris, quo & Principes Imperij conuenerant, arceſſi-
tur. Oratione ante habita literas Maiestati ipsius indu-
ciarū reddit. Dono autē dat duos cyathos crystalli nati-
ui, Equum Turcicum, & poſtremo quatuor Camelos. Die
Diui Andreæ, Rex in primario templo inauguatur, ſpe-
ctante Regina, vnā cū ſuis ſereniſſimis liberis. Nondum
pius Imperator ſe ſatis feciſſe Reip. exiſtimabat, peractis
duabus coronationibus trimeſtri ſpatio: tertiam quoque
quaē reſtabat Hūgaricam nempe abſoluendā ratus eſt, ut
demum quietiore animo priuata vitam agere poſſet, quaē
tamen Maiestati eius non contigit. Decēbri idcirco men-
ſe Francofurto diſcedit, pérque urbes Rhenanas Fribur-
gum Brisgoiae petiſt, inde exaclo concilio, quod Alſatis in-
dixerat, per agrū Conſtantienſem Oenipōtem mense Fe-
bruario anno CIC LXIII. venit. Quāobrē Oenipon-
tem adierit, Cōcilium Tridentinū in cauſa fuifſe quidam
affirmabant, cui ſi vicinus Imperator eſſet, eō celerius ad
finem perduceretur. Etiā Oeniponti Maiestas ipsius opti-
mè valeret, & partim venationibus, partim filiarum, ac

ris diutius in suo vigore manere posset. Nec amplius post
 discessum ab Oeniponte eius Maiestas equo insidēs à quo-
 quam visa est propter corporis imbecillitatem. Cœli quo-
 que mutatione de viribus nonnihil diminutū videbatur.
 Oeniponti inuiserant eandem Maiestatem Illustrissimus
 Gulielmus Dux Mātuæ, Gener eius cum coniuge, altera
 itē filia Bauariæ Ducissa: & paulò antē amplissimus Ka-
 rolus Cardinalis Lotharingus. Sexto ferme mense Oeni-
 ponti exacto incolumis, recta secundo flumine Oeni, in
 Hungariam ad comitia quæ ante mensem indixerat unā
 cū filio KAROLO Archiduce contēdit. In ipso discessu
 filiabus dulcissimis postremū vale dixit, illę rursum lacry-
 mis oppletis suauissimū parentē honorifice resalutant, quē
 se non amplius fortasse visuras præsigebant, ut & acci-
 dit: deducunt parentē per hortum usque ad ripā fluminis.
 Neque Imperator absque lacrymis à filiabus carissimis a-
 uelli poterat: quinetiam nobis spectatoribus hic digressus
 mæstissimus, mærorem quandam incussisse videbatur, ne-
 dum unico parenti à liberis suis discedēti. In itinere diuer-
 terat Imperator ad oppidū Vassemburgum in ripa Oeni
 fluminis situm, ex ditione Ducis Bauariæ, ad quod op-
 pidum Bauariensis atque Virtembergensis Duces ho-
 noris ergò aduentum eius Maiestatis in portu à prandio
 statim usque ad summā vesperam opperiebantur. Postri-
 die ex oppido subductis nauibus iterū se itineri accinxit,
 & septimo die Viennam venimus: Vix autem trium mil-
 liarium interuallo ab urbe eramus cum Imperatore, Ecce
 MAXIMILIANVS obuiā parenti ad tria millaria
 germanica actuaria nauī cū paucis comitibus vectus ve-
 nit,

ORATIO FVNEBRI\$

nit, patrisque fælicem aduentum non oratione solum gratulatoria, sed etiam ipsis gestibus gaudio plenis, celebrat. Non totum bimestre Viennæ exegit: unde secundo flumine Danubij Pisonium sub initium mensis Septembris Imperator eò se cœtulit, quo MAXIMILIANVM paucis ante diebus magna multitudine equitum Bohemicorū, Austriaeorum, & aliorum prouincialium comitatuum præmisserat. Fuere omnes Hungarici ordines Maiestatibus eorum obedientes, & se quisque in excipiendis tam Imperatoria quam Regia Maiestatibus aduenientibus officiosum præbuit, eamque quam potuit ac debuit, reuerentiam exhibuit. Coronatione eodem mense fæliciter expedita, duos nepotes ex filio ADOLPHVM & ERNESTVM Pisonio in Hispaniam, MAXIMILIANVM vero in Morauiam illinc in Silesiam mittit, ubi ipse met interesse cupiebat, si per valetudinem licuisset, quæ indies ingrauefcebat. Imperator autem Viennam aduerso flumine vectus redit. In eunte anno Seruatoris nostri CIC 15 LXIII. in quo beneficio Dei iam sumus, paulatim vires eius Maiestate laborantem febri, quæ subinde recurreret deficere incipiebant. Nec amplius publicis negotiis procurandis operam nauare poterat, quæ omnia et si in filium, postquam rediisset ex Bohemia, reicerat, nihilominus tamen eius Maiestatis nomine omnia gerebantur. Sapenumurò predicebat in suis doloribus se mortem obitum, quam cupidè expe-

ratum esse parere voluntati diuinæ , & quidem se ex his
 arumnis ad illam perpetuam vitam liquidissimæ volupta-
 tis plenam cum incredibili lætitia migrare velle dicebat.
Quod verò ad conscientiam bene actæ vitæ attinet, qua
 nihil certè potius ducebat, se nullius cuiquam illatæ iniu-
 riæ sibi esse consciū, aut si quis sit, quem iniustè læserit, id
 non sua voluntate , sed suorum culpa factum fuisse. Ideo
 subinde iterabat se pura conscientia in conspectū Dei bre-
 ui comparitur. Num igitur supra sexagesimū etatis suæ
 annū, cùm fæliciter cōfecisset atq; inter filios hæreditarias
 prouincias optimè distribuisset, ex hac familia nonus Im-
 perator, Viennæ V 111. k. alend. Augusti, qui dies erat fe-
 stus Iacobi Apostoli, placide moritur, toti Reip. Christia-
 næ sui desiderium relinquens. Quamuis igitur optimus
 Imperator nobis ereptus sit, tamen quoniam & ipse mu-
 nus debitum naturæ persoluit, & nobis loco parentis filius
 Cæsar generosissimus atque erga omnes suos singulari be-
 nevolentia affectus reliquus est: gratias agamus Deo, so-
 lemürque nos, precemur denique Deum immortalem, qui
 est pater Domini nostri I E S U C H R I S T I, ut Maie-
 stati ipsius suo sancto Spiritu adsit, gubernatioque Ro-
 mani Imperij primū Deo grata, deinde Reipub. Chri-
 stianæ utilis ac salutaris esse queat.

